

IN CURANDA ELEPHAN-  
tiā quid interfit inter Neotericos,  
& inter Gracos omnes, Latinos  
seniores, & Ara-  
bicos.

CAP. XXVII.

**N**CIPIAM pri-  
mūm à Galenī hi-  
storiis, qui libro  
de Subfiguratio-  
ne empirica ad  
verbum cap. 12. ita  
scripsit: Erat apud  
nos in Asia in pago quodam cle-  
phantiasi vir laborans, qui à princi-  
pio quidem reliquis convivebat, &  
cum familiaribus versabatur; ubi ve-  
ro ex consuetudine contagio macu-  
lari cæperunt, ipseque Jain fætore, &  
horribili specie detestandus esset, in  
edito loco prope pagum juxta aquæ  
rivulum, pagani tabernaculum ægro  
habitandum struxeré, cui deinceps  
dia-

diarium alimentum subministrarent.  
Proxima æstate circa Canis exor-  
tum, colonis vicinam segetem me-  
tentibus, minister odorati vini lage-  
nam quam attulerat propè agri mar-  
ginem dimittens abiit. Coloni la-  
bore functi cum ad pocula accessis-  
sent, ac quidam eorum adolescens  
vinum incraterem funderet, ecce  
exanimata viperæ simul collapsa, bi-  
bituros non minus abominatione,  
quam metu consternavit: ac ipsi qui-  
dem aquam potantes vinum ægro-  
tanti attulerunt, humanè se acturos  
existimantes, si tantam viri calamita-  
tem in morte redimerent, quam ex eo  
veneni haustu plane futuram arbitra-  
bantur. At ille novo quodam pror-  
fusque admirando eventu, ab ipso  
potu sanatus est: excidit enim tota  
cutis dura, & veluti lapidosa, non se-  
cus ac si cancris, locustisvè, aut cæte-  
ris hujusmodi crustaceis animalibus  
testam, qua con teguntur, absinde-  
res. Nec dissimile in Mysia Asiae, non  
pro-

ET FACULTATIBUS. 119

procul à nostro municipio contigit.  
Virerat prædives, elephanticus ; hic  
ancillam suam formolam deperibat.  
contra , illa fœdum hominem odio  
habebat, aliisque amantibus clande-  
stiné miscebatur, cuius doli consciis  
duabus ancillis contubernalibus u-  
tebatur, alterea penii præerat, altera  
cællæ vinariæ. Acesserat æger certa  
sibi promissa spe salutis , ad quodam  
aquarum calidarum fontes, ubi mul-  
taviperarum vis ob squallorem, ari-  
ditatemque loci scatebat. In vini i-  
gitur lagenam parum diligenter ser-  
vatam vipera irrepit, quam cum suf-  
focata depræhendisset ancilla , rata  
fore, ut odiosus homo eo veneno fa-  
cile interiret , cœnanti alacriter ob-  
tulit ; evenere que cadem omnino,  
quæ supra de pago retulimus. Atque  
hæc equidem duo sunt experientiæ  
documenta, quæ casus attulit. Nunc  
verò tertium adjungam, quod imita-  
tio effecit. Philosopho cuidam, mul-  
tos antea annos hac ipsa ægritudine  
effli-

efflictim laboranti, ut jam illi vitæ mors præferenda videretur, geminos hosce eventus cum fortè recitavisse, idem ipse etiam experiri cogitavit. Ad quod obeundum augurio quoque confirmatus (erat enim augurandi peritus) protinus vinum ita medicatum, quod parari jussérat, interpidè hausit, nec multò inde postea ex elephantiasi in lepram degeneravit. Quartus etiam præter hos omnes viperarum venator, dum primis abhuc hujus morbi incommodis teneretur, me pro salute consuluit, quem ego adinonui, viperas quas venaretur, frustratim incisas, anguillarum more decoctas esitaret, atque ita per halitum ægritudo discussa est. Alium præterea divitem virum non nostratem, sed è media Thracia pergamum, insomnio ita jubente, profectum Æsculapius admonuit ut medicamentum è viperis quotidie potaret, atque exterius corpus illiniret: ac non multò postea transivit in lepram,

pram, deinde hac medicina, quam Deus docuerat, exquisitè sanatus est. Tot igitur experimentis commoti, tandem DEI quoque admonitu confirmati, certam spem concepimus sanandi elephantiasim medicina cè viperis confecta, quam theriacam appellant, nec minus sale theriaco. Itidem à Galeno tres casus libro 11. simpl. & libro 2. meth. ad Glauconem proponuntur, & usu viperarum sanati sunt. Oribasius lib. 3. de Morbis curandis cap. 62. mirabile auxilium affert his, qui elephantiasim patiuntur esu viperarum, quas qui edere non horruerit in hunc modum parabit. Primum enim caput & caudam ad quatuor usque digitos absindet, interiora omnia abjicit, & pellem afferet, corpus in aqua pluries colluet, deinde in fartagine non secus ac anguillas ex albo jure condiet, jus verò album fit aqua copiosa imposita, modico oleo & aneaddito; planum est carnes viperarum eos.

F que

que coquendas esse, quo usque prorsus teneriores reddantur, & ab ossibus abscedant. Est etiam accommodatum hoc medicamentum ex viperis, & frequenter bibere æger debet, & si cui cordi sit, cutim eodem intingere. Qui hæc omnia faciunt, quandoque eis evenit, ut squama ex cute excedat, qualem in serpentibus sene-  
ctam appellamus. Ad hunc etiam morbum utimur sale theriaco. Hæc omnia à Galeni Methodo, ad Glauconem lib. 2. sunt mutuata. Aetius 13.  
cap. 123. sic inquit, mirabile elephan-  
tiasis remedium yiperarum usus exi-  
stit, eas verò hoc modo apparatas e-  
dere oportet; primo quidem ampu-  
tato capite & cauda, detracta pelle,  
exemisque visceribus, exactè caro  
aqua pura bis ac ter lota, in olla instar  
anguillarum coquitur, aqua quidem  
sufficienter affusa, & oleo modico  
cum aneto & porro; post sufficien-  
tem deinde cocturam, juscum mo-  
derato sale condiantur, atque ita ægro  
in

in sole desidenti præbeatur ; capite tamen probè valeto ; neque vero semel tantum, aut bis viperas edere satis erit, sed sæpe id fiat, cum extra periculum sit, in super & utilitatem afferat, sint tamen viperæ nuper captæ, & ex humentibus locis accipientur, non falsis, nec montuosis, quibus utamur ad elephantiasim curandam, aut sale viperino quotidie pro liquamentis ad intinctus exhibentes, una cum obsoniis, suntq; tum sapore, tum odore gratissimi. Ideo Aëtius sermone secundo cap. 7. viperas sic comedas totum corpus per cutim purgare scribit. Ex his licet cognoscere, hac facultate elephanticis viperas esse utilissimas; & ego cum juvenis essem, inquit, expertus sum. Homo quidam elephanticus correptus abominabilis erat, & grave olens, itaque casa proprie vicum extructa erat. Metebant autem in agro vicino messores, quibus in amphora vinum apportabant, Ubi erat tempus bibendi, messores

vinum in craterem infundebant, quo  
cum mortua vipera simul excidebat.  
Itaque plenum humanitatis opus se-  
facturos credebat majores, si vinum  
elephantico homini sumendum tra-  
derent; melius enim esse videbatur  
ipsum mori, quam talem vitam vive-  
re. Verum is epoto vino, mirabili  
modo sanatus est: etenim universa  
cutis tumescens veluti ostrearum te-  
ctorium decidebat, at sub termollis  
erat & apparebat, veluti in locustis  
& cancris, exutis testa, licet videre,  
quoniā & in aliis plurimis idein ac-  
cidisse veteres memoriae prodide-  
runt, & nos etiam multos viperarum  
cūtatos vidimus, unde & theriacæ ipsas  
miscemus. Sic ad verbum lib. II.  
simpl. Galenus: viperarum carnes pa-  
lam videre est calevacere & exiccare,  
cum condiuntur velut anguillæ oleo,  
sale, aneto, & porro, & aqua, servato  
modo. Quod autem totum corpus  
per cutim evacuent, discere tibi lice-  
bit (candidus lector) ex his, quæ ego  
juve-

juvenis in Asia sum expertus , quæ singulatim deinceps narrabo. Sed historia jam Aëtio relata fuit, & pergit sex historias referre ex lib. de Subfiguratione empirica cap. 12. Paulus quoq; Ægineta in eadem sententia loquitus est. Nonius medicus Junior cap. 232. de elephantiasi pe- tractans , pastillos theriacales ad drachmæ unius pondus exhibet fre- quenter, & ipsam theriacam. Habe- mus igitur plenissimam viperarum approbationem in elephanticis cu- randis , cui subscribunt Oribasius, Aëtius, Ægineta, Nonius, & si qui a- lii ex latinis, etsi Celsus ex latinis lib. 3. cap. 25. scribit Italæ ignotum esse, sed tamen ejus curationem instituit Aurelius Cælius Siccensis libr. 4. chronion cap. 1. exactè curationem prescribit ex omnibus ordinat præ- terea theriacam dandam, quam cun- eti Mitridatum appellamus, quæ qui- dem recuperativa virtute mederi posse perspicitur. Dant etiam vipe-

## 126 DE VIPERA Natura

ras mandendas sed præparatas. Tra-  
statu. 21. Alpharaicuſ de lepra egre-  
giè egit, ubi non meminit viperarum  
neque theriaces, cum nondum per-  
venerint ad eos hujusmodi medica-  
menta. Octavius Horatianuſ lib. 1.  
cap. 31. viperarum meminit pro me-  
dicamento elephantici morbi. Pliniuſ  
major, morbi quidem plurimis  
in locis mentionem fecit, sed ex vi-  
peris medicamentum nondum vidi  
locum attigisse. Haliabbas viperam  
lib. 1. antidotorum ſcripſit prætervare  
& curare ab elephantiasi, quam le-  
præ vocat. Avicenna ſcribit ejus car-  
nes lepræ conferre, & theriacam ma-  
gnam, prima quarti. Serapion ex Ga-  
leno theriacam ex viperæ carnibus  
frequenter аſſumptam & illitam, val-  
de conferre teſtatur. Ecce igitur ex  
Græcis optimis auctoribus, & Latini-  
nis & Arabibus medicis, idem reme-  
dium aduersus elephantiasim Græ-  
corum vel Arabum maximè appro-  
batum. Ad hos accedit Gariopontus,  
qui

qui libro, & capit. 5. viperinas carnes ab initio sumptas, in perpetuum curare confirmat, & theriacam ipsam commendat: quibus verò hæc affectio inveterata est, tumores deponuntur, & recedere videntur. Jacobus verò Hollerius lib. 1. cap. 61. de vera elephantiasi confirmata loquens, non curatur, inquit, sed recens curari potest & prohiberi; quæ annum non superet recens est. Similiter theriaca & carne viperæ in enarrationibus medicinalibus Valeriola idem affirmit. Joan. Fernel. lib. de part. morbis, & simpl. cap. 19. elephantiasim venenatum morbum esse scripsit, & venenatam qualitatem acquirere. Idem lib. de abditis rerum causis, approbat Fernelius, & sicuti in scriptis nihil relinquere ausus est, sic indicato animi sensu Juliano Constantino Palmerio auditori suo moribundus cum mortuis colluctari voluit, referens se ex viperis nullum elephanticum curasse, uti cap. 9. lib.

De elephantiasi Julianus Palmerius tradidit , neminique ut erat in votis successit , propterea que siccantibus remediis , utendum non esse censet , & idem theriacam prohibere testatur ; quare hi duo sibi invicem contraria proferunt ; nam Fernelius morbum hunc venenatum censet . Ut est igitur alexiterium medicamentum , theriaca mirè convenit , nec à Ferne-  
lio rectè prohiberi potuisset , præci-  
pue cum affectum ad cutim propul-  
saret , sed hi non norunt confirmata  
tum hunc morbum , vel indies calida  
aëris intemperie , vel ciborum pessi-  
ma qualitate adauctum , evinci peni-  
tus non posse , nisi permixtata aëris  
ad frigidum temperie , & humectan-  
tibus ac frigidis cibariis præscriptis  
& assumptis , uti ptisana hordeacea ,  
lacte , lactuca , endivia , pimpinella ,  
cucurbitis , cucumeribus , & frigidis  
fructibus omnibus , carnibus avium  
lacustrium elixis aqua potius quam  
vino , avenato , & juscule viperarum  
cum

cum frigidis herbis condito, ut i son-  
cho, acetosa, ocimo. Quapropter  
tantum abest ut augeatur hic mor-  
bus tam contumax, ut etiam tolli  
longo spatio possit; Primum misso  
sanguine ex hepatica plurimo, pro  
viribus tamen ex temperie iterata  
potius quam unica missione, exhibi-  
tiisque medicamentis, quæ Alphara-  
nius prescribit & eligit; deinde lon-  
go tempore refracto corporis habi-  
tu, ad frigidum & humidum, & cura-  
ri & evinci posse penitus denegari  
non potest, nisi à parentibus hæredi-  
tarius ex vitiioso semine, membris &  
particulis ab ortu corruptis, contra-  
ctus fuerit. Plus ne uni Palmerino  
testi malefido, quam ipsi Fernelio a-  
liter sentienti credemus? Sed con-  
cedamus, Fernelium permutasse sen-  
tentiam, quid tum? in cibo magis  
quam in medicamento improban-  
dam esse siccitatem, nonne magis  
Galeno tot historias ex propria in-  
spectione referenti credendum est;

## 130 DE VIPERÆ NATURA

quibus ut nimia fides haberetur ex-  
postulabat, cui reliqui Græci omnes,  
Arabes, Latini uno ore plenissimè  
assensere, & tot annorum curriculis  
pluribus experimentis reliqui o-  
mnes subscripterunt, quid dubitan-  
dum præ animi vecordia, & obcæca-  
to oculorum obtusu, (si res experi-  
entia iterum, & tertio confirmari po-  
test.) Sed alia ratione Alexander  
Trajanus medicus magni nominis,  
cum de medicamentis ex viperæ Fer-  
nelium subdubitasse crediderit, pari-  
ter de medicamento & cibo seu nutri-  
mento subvereri visus est, & septum  
seu obstaculum nostræ experientiæ  
obtulit, & sententiæ impedimentum.  
Sed ille leviter tractationem hanc,  
potius autoritate quam ratione  
confirmavit, nam ea de viperæ scri-  
bit, quæ à communī medicorum o-  
mnium, & scriptorum consensu &  
receptione recedunt, & à vero lon-  
gissime absunt. Amicus Alexander  
fuit, multo magis amica veritas, quæ  
à me

à me ipso dissentire cogeret, ne dum ab aliis qui non ratione & experientia niterentur, nec firmissimis auctorum sententiis concordibus; sed si contra his omnibus in contrarium obstantibus sola personæ suæ auctoritate leviter confirmat, cogor contra ipsum (petita venia) audacter insurge. Hic igitur carnes viperarum nō sine gravi periculo lib. quinto capite octavo de victu Romanorum eди existimavi; quoniam earum continuus usus inducit celerem quoque senectutem, & mortum accersit, quia duin corpus veneno suo in tumorem attollit, hominem recte nutritre non sinit. Ego vero liberè huic scni responderem, singula ejus verba pendens, quodnam periculum ex esu carnium viperinarum oriretur, si recte præparatis utamur, si sine veneno sunt, tot eis vescuntur populi, si experientia quotidie comprobatur, si jam tot auctoribus approbatur, si ne aliquo vitæ discriminine nos vesci

posse? Auctor cap. 9. ad Pisonem infinitam esse à natura viperinis carnibus vien juvandi , earumque virtutem ad salutem conferre , quo igitur pacto cæcitatem hujus usus inducet ; Si scriptorum omnium quorum hucusque evolvimus libros sententiæ nostris experimentis contrarium comprobari poterit? quanto melius Diocorides auctor probatissimus , viperæ carnes si cocti , inquit , edantur , claritatem oculis afferunt lib. 2. cap. 16. paulo inferius subjungit, longam senectutem agere qui eo cibo vescuntur ; quod Plinius hunc in modum lib. 7. cap. 2. confirmavit : Cygnos Indorum genus Ifigonos tradit, annos centenos & quadragenos vivere; Æthiopas etiam, & Seras existimat, qui & Athon montem incolunt, hos quidem quia viperinis carnibus alantur. Cervos tamdiu vivere cum firma corporum constitutione, tum serpentum victu evenire credendum est. Ita quoque testudo terrestris vi-  
pera

per avictat, qua pasta sine præparacione visceribus per adversantem cunilam natura nocumentum evenenatis partibus feræ sibi proventurum, Basilio magno in hexamero cap. 9. auctore, evitat, quo cibo diutius vivit occultaque proprietate longiorem consueta vitam extendit, ut alia omittam. Cum igitur tuto viperinæ carnes comedantur, & oculorum habitudinem tollant, & claritatem pariant, senium protrahant, & ad centesimum, & quinquagesimum annum traducant vescentes, quo pacto mortem accersent, ut hic assertur; ratio nostra est non levis, quia corruptos & perniciosos humores extra educit ad cutim, & valentissime propellit, & Galenus lib. 11. simp. confirmat. Averrhoes lib. 5. cap. 52. reddit rationem cur lepram curet, propterea quod (inquit) propellit venenosam materiam ad cutim & corporis pellem, & propterea bibentes & comedentes in eundem af-

fectum cadunt cum viperæ , hoc est,  
in excoriationem cutis' , & postea  
consolidantur ; quid clarius quod  
Palmerianam pruriginem educere,  
aut evacuare possit. Quod si viperæ  
bis in anno senectam deponit , bis in  
anno & hac una ratione juventam  
renovare videatur, ut Poëta quidam  
arbitratur :

*Anguis exiit cum pelle vetustas;  
Cur nos angusta conditione sumus,*

Non video cur homines, qui vipe-  
ræ carne vescuntur sæpius , hac ut a  
ratione humores noxios propellant,  
& senectam cum viperæ abjiciant, ut  
Galenus & Averrhois testantur, aut  
cæcitatem, aut citius mortem incur-  
rant. Hoc addit quod quidem est er-  
roneum , quia corpus veneno suo in  
tumorem attollunt ; quorsum hæc?  
nimis confusè loquitur ; id certe  
contingit in statu naturæ ipsius vipe-  
ræ, quando integra est, cum partibus  
venosis , ut capite & felle cum reli-  
qua carne quispiam vesceretur , ut  
dixi,

dixi, tunc maximè inficit, & mortem accersit, & cæcitatem inducit, sed tunc nec cibus præparatus, nec medicamentum præparatum est: & si habet coniunctam carnem cum facultate alexiteria, tamen nisi prius à calore nativo evincatur agere non potest, sed venenum illico naturam evincit, & prosterint; propterea alexiterium sua facultate & auxilio frustraretur; venenum enim intus assumptum præcurrat, & vix antidotum conferre posset. Postquam medicorum dogmatibus moniti aures non porrigunt, saltem ex fabellis veritatem agnoscere volint, ex Nicandro & ejus interpretibus recitatis. Mortales olim, ajunt, impetrasse multis precibus à Diis, ut perpetuae juventutis munere donarentur, atq; ita in posterum nunquam senio contabescerent; sed quandiu viverent, unicuiquam permisum esset integris viribus & florente ætate semper vigerent. Hanc igitur simul atque benigni-

136 DE VIPERAENATURA

nigkeitate Jovis accepissent, imperitos adeò rerum fuisse, ut cam asino vectandam commendarint. Hunc vero siti confectum ad fontem quendam pervenisse, in quo serpens seu viperā, loci custos, stativam custodiā haberet, cuinque ibidem biberet facultatem sibi fieri tentasset, à viperā fuisse prohibitum ascellum ferunt, neque alia conditione permisise, quam ut illud, quod vehebat onus, angui mercedis nomine concessisset; eo inde tempore senecta omnes Viperas bis quotannis abjecta juvenescere; homines vero senio confectos emarcescere, ac stoliditatis pēnas luere, quod juventutem tanto studio expetitam & precibus, adeò negligenter custodissent. Sophocles etiam hanc annexit fabulam, sub ista tamen latet veritas: Postquam naturae nostrae denegatum fuit longiorēm vitae cursum prorogare, saltem homines viperina prudētia aliorum animantium innixos exemplo,

exemplo, vitæ longioris, & reparandum juventutis studio teneri, viperis serpentibus ritè paratis vescerentur, quæ Soli, & filio Æsculapio attributæ sunt, eas pro insignibus gestantibus, quoniam cum homines in ægreditines cito consenescant, salubritate adveniente, quasi deposito spolio reviviscere videantur. Spectatur hoc idem in sole dum ab hyemali senecta ad vernam sese prorexit juventutem, & à vernali æstiva ad autunale iterum revoluitur; sic vipera bis in anno senectam deponit, vere & autumno. Hieroglyphici hominem juventuti restitutum viperæ Symbolo ostendunt. Non est igitur ut à re saluberrima deterreamur, quæ toties certissimo experimento cognita olim fuit. Iterum Petronius subjungit, tunc hominem nutrir non sinunt; ad quod facile respondemus; tantum abest ut viperæ non sinat nutrir humānum corpus, si eo modo quo debet præparata utamur, ut etiam in

cau-

## 138 DE VIPERA Natura

causa sit, quod facilius & melius purum nutrimentum per universum corpus deferatur, ut in elephanticis contingere jam novimus. Jam suo jure & sensu vivere potest, cum nemo aliis ex tot medicinæ auctoribus viperæ beneficia in ægritudine non agnoscat & profiteatur. Alexander Massaria libr. 2. de peste, de vipera ita moderate scripsit & aptè, & eam difficultatem incuranda elephantiasi non ex parte viperarum provenire, verum ex parte morbi accidere, cum ipse sit omnium contumacissimus & incurabilis, & si saepius contingat, ut dixit Averrhoes, ut eorum pellis excorietur tanquam senecta & nova induatur, quæ iterum consenescit; quare tantum in illis remediis insitendum est, ut inveterati, aut ex hereditario infecto semine contracti renascente cute floridi saepius apparent, & una hac ratione recurrentem ex naturali intemprie labefactata & ob contumaciam, & specialiter quen-

quendam jecoris affectum s<sup>e</sup>pius pullulantem, ad cutim trahere comodissimum erit; & internas particulas à prava sarcina sublevare est pariter admodum salubre.

POST QUAM D<sup>E</sup> CARNE  
viperæ, ut medicamentum est, hucusq;  
tradicimus, modo de ea tanquam de  
cibo ex ea comparando, & ejus condi-  
mentis secundum variam ho-  
minum temperiem &  
usum.

CAP. XXVIII.

A R O vipérina peculiarem virtutem habet corroborandi concoctivam facultatem tertię quę in membris perficitur, e jusque usu vitam extendere; sensus custodit, & viventem, ut Avicenna pro-